

item Tutius v. gr. qui duxerat Caiam sororem Sempronii post mortem Sempronii ducere potest viduam ejus.

§. II. Utrum affinitas habeat per se gradus? Quae Regula illos dignoscendi; & quousque extendatur?

Dico 1. (Ibid. art. 7. o.) Affinitas non habet per se gradus, sed ratione consanguinitatis. Prob. (Ibid.) Illa tantum propinquitas habet per se gradus, cui carnis ejusdem propagatio per se, & immediatè comparatur; atqui carnis propagatio per se tantum comparatur consanguinitati, affinitati autem ratione consanguinitatis: ergo. Patet Min. Quia ex carnis propagatione immediatè consanguinitas contrahitur, & mediante consanguinitate affinitas. Prob. Maj. Res non dividitur divisione per se, nisi ratione illius, quod competit sibi per se, secundum genus suum: sicut animal per se dividitur per rationale & irrationale, non autem per album & nigrum; atqui gradus aritmetice, seu propinquitatis distinguuntur per propagationem carnis: ergo illa tantum propinquitas habet gradus per se, ad quam per se & immediatè ejusdem carnis propagatio comparatur. Hinc statuitur

Regula generalis dignoscendi gradus affinitatis.

Quoto gradu consanguinitatis atinet mihi vir, toto gradu affinitatis atinet mihi ejus uxor. (Ibid.) Igitur stipes affinitatis, ut jam diximus, sunt maritus & uxor, sicut consanguinitatis pater & mater. Affines autem sunt in linea recta, qui in eadem linea sunt alteri conjugum consanguinei, ut ascendendo socer & socrus, id est, pater & mater alterutrius conjugum, prosocter & prosoctus, &c. quibus respondent relative descendendo, gener & nurus, progener & pronurus, &c. Item vitricus, id est, maritus matris meae post obitum patris mei; & noverca, id est, uxor patris mei post obitum matris meae: quibus respondent relative descendendo privignus & privigna. In linea collateralis sunt affines, qui uni conjugum in eadem linea sunt consanguinei, ut frater, aut soror uxoris sunt marito affines in primo gradu lineae collateralis; & sic de ceteris proportionaliter.

Dico 2. (Ibid. art. 8. o.) Gradus affinitatis extenduntur, sicut gradus consanguinitatis, nunc scilicet, usque ad quartum gradum. Patet ex praeced. Conclusionem. Hoc ipso enim quod gradus affinitatis sumuntur juxta gradus consanguinitatis, oportet, quod tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis: ergo. Notandum, (Ibid.) quod, quia affinitas est minus vinculum, quam consanguinitas, facilius & olim & nunc dispensatio fiat in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus consanguinitatis.

§. III. Utrum affinitas impediat, & dirimat matrimonium? Quo gradu, & quo Jure?

Dico 1. (Ibid. art. 6. o.) Affinitas praecedens impedit & dirimit matrimonium. Est communis & certa, patebitque ex Jure sequenti Conclusionem citando. (Ibid.) Rationes autem congruentes hujus impedimenti sunt eadem, ac impedimenti consanguinitatis. Sicut enim inest necessitas quaedam habitationis, amicitiae vinculum, & reverentiae debitum inter consanguineos, ita & inter affines; atqui his rationibus consanguinitas convenienter impedit & dirimit matrimonium: ergo & affinitas.

Dixi: Affinitas praecedens; quia, si superveniat matrimonio, semel valide contracto, illud dirimere non potest; sed impedit eum, qui culpabiliter est causa hujus affinitatis a petendo debito, non tamen a reddendo: quod si uterque fuerit in culpa, utrumque a petendo impedit, nisi dispensationem obtineat, quae ab Episcopo concedi potest. Si vero talis affinitas causata sit citra culpam, puta per copulam, per vim, aut ignorantiam invincibilem habitam, nequidem a petendo debito impedit; quia nemo citra culpam debet privari jure, quod ipsi lege naturae competit. Ita c. Discretionem, de eo, qui cognovit uxoris consanguineam. De quo dictum est superius.

Dices. Qui fornicariè cognoscit mulierem, ad illam propinquius atinet, quam ejus, scilicet fornicariè, consanguinei; atqui fornicarius ille non prohibetur hanc mulierem ducere: ergo nec affines. R. N. Consequ. Quia ille fornicarius, neque consanguineus, neque affinis efficitur mulieri fornicariae, sed una caro, quae non impedit vinculum, imò illud facit.

Dico 2. Affinitas olim Jure Ecclesiastico impediatur, & dirimebat matrimonium contrahendum usque ad 7. gradum, cap. Aequaliter 35. q. 3. Nunc autem a Concilio Lateran. sub Innocentio III. si orta sit ex matrimonio, sive consum-

mato, sive non, impedit & dirimit usque ad 4. gradum inclusive, cap. Non debet 8. de consang. Si vero proveniat ex copula illicita, impedit & dirimit tantum usque ad 2. gradum inclusive jure novo Tridentini sess. 24. cap. 4. ita ut in 3. & 4. gradu nequidem valide, sed & licite, de quo aliqui dubitabant, matrimonium contrahi possit, ut declaravit Pius V. ann. 1588. Bulla Ad Romanum Pontificem. Haec certa sunt, & communia. Sed utrum aliquis gradus affinitatis Jure naturae dirimat matrimonium? Major est opinio diversitas. Difficultas est maxime circa 1. gradum utriusque lineae rectae & collateralis; quam duobus Conclusionibus dirimemus.

Dico 3. Matrimonium affinitum in 1. gradu lineae collateralis non est Jure naturae irritum. Est nunc communis. Non diffitemur tamen, esse aequaliter illicitum propter quendam indecentiam, quam videtur involvere, sed quae accedente rationabili causa facile potest abstergi, adeoque & matrimonium reddi licitum. Haec appendix probatur rationibus 1. Conclusionis hujus §. Prob. Conclusio 1. Major est propinquitas consanguinitatis in 1. gradu lineae collateralis, quam affinitatis ejusdem lineae in eodem gradu; atqui consanguinitas in 1. gradu lineae collateralis non dirimit Jure naturae matrimonium, ut probavimus supra: ergo nec affinitas in 1. gradu utriusque lineae. 2. Ex Scriptura Genes. 29. Jacob sine urgenti causa accepit duas sorores Liam & Rachel, Deuter. 25. nequidem permittitur, sed etiam praecipitur, ut frater nubat uxori fratris sine prole defuncti, ut suscitaret semen ejus. 3. Ex Jure, Innocentius III. cap. finali de divortiiis permittit recedat ad finem converso permanere cum vidua fratris sui, quam adhuc infidelis sibi matrimonio junxerat: ergo supponebat illud validum. 4. Ex variis summ. Pontificum dispensationibus, qui, cum nihil possint contra jus naturae, rectè inde concluditur talia matrimonia Jure naturae non esse invalida. Dispensavit autem Alexander VI. ut Emmanuel Rex Portugalliae duas sorores successivè acciperet. Similem dispensationem concessit Martinus V. ut referat S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 11. Julius II. dispensavit, ut Henricus VIII. Rex Angliae duceret Catharinam Aragoniam, fratris sui Arturi viduam, quam dispensationem Clemens VIII. consultis ferè totius orbis Doctoribus & Academicis, legitimam esse & validam declaravit Decreto, quod refert Alphonsus a Castro libr. 2. de lege poenali cap. 12.

Dices 1. Levit. 18. prohibetur matrimonium in primo gradu affinitatis lineae collateralis, tanquam aliquid turpe, his verbis: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: ergo ut Juri naturae contrarium 2. Matth. 14. Joann. Baptista arguit Herodem, quod haberet uxorem fratris sui, non viventis, sed mortui, ut interpretatur Chrysost. hom. 49. in Matth. 3. Innocentius III. cap. Gaudemus tit. de divortiiis significat, matrimonium infidelium in 1. gradu contractum est irritum. Haec sunt praecipua, quibus olim Angli contendebant matrimonium Henrici VIII. cum Catharina Aragonia esse illegitimum & dirimendum, ut ab eo solutus Rex posset ducere Annam Bolenam, cujus amore exardescerat. Sed facili negotio dissolvuntur. Unde R. ad 1. jam diximus, legem Levitici nunc Christianos non obligare, nisi quoad ea, quae Juri naturae continent; praeterque diximus, non omnes gradus illo prohibitos esse Juri naturae. Et quoad praesentem prohibetur quidem, ut quid turpe, id est, aequaliter indecens sine causa, non tamen ut graviter illicitum; siquidem, ut dictum est, e contra praecipiebatur Dent. 25. casu quo frater sine liberis moreretur: imò ex ipso citato Levitico, dum prohibetur conjugium cum sorore uxoris, quod est in eodem gradu ac cum uxore fratris, dicitur: Nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente; quibus verbis insinuat prohiberi tantum vivente uxore; licere autem illa mortua.

Ad 2. verisimilius est, quod Herodis frater adhuc viveret, tradant Hieronymus, Beda super Matth. Euseb. libr. 1. c. 11. Egesippus libr. 2. c. 1. Josephus libr. 18. antiquit. c. 6. & ipsum officium divinum in Festo Decollationis S. Jo. Baptiste, Respons. ad 2. Lect. ubi legitur: Joannes arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratris sui uxorem. Insuper, dato quod frater Herodis fuisset mortuus, nihilominus reprehensibilis erat Herodes, quia profitebatur Legem Judaicam, qua, ut observandum est, prohibebatur, ne frater duceret uxorem fratris, nisi in casu, quo obisset frater sine liberis; qui locum non habebat in Philippo, cujus erat filia ex Herodiade, scilicet puella saltatrix. Ad 3. Innocentius loquitur de consanguinitatis gradibus, non affinitatis.

Dico 4. Matrimonium in primo gradu affinitatis lineae rectae est graviter illicitum sine urgenti causa; non videtur tamen ipso Jure naturae irritum; sive affinitas proveniat ex copula licita, sive illicita. De copula licita omnes conveniunt; etiam de licita Cajetanus, Abul. Petrus Ledesma, Henriquez, Sa, Amicus, quos citat & sequitur Sanchez.

Prob.

Prob. 1. pars. Quia non modica videtur in tali matrimonio indecentia, quae nisi aliqua urgenti ratione abstergetur, ipsum reddit illicitum: ergo. Confer, quae dixi 1. Conclusionem & art. praeced. de consanguinitate. Prob. 2. pars: 1. Non videtur major indecentia & repugnantia in matrimonio affinitum primi gradus lineae rectae, quam in matrimonio consanguineorum primi gradus lineae collateralis; atqui haec non est tanta, ut ipso Jure naturae dirimat illud, ut diximus supra: ergo nec illa. Maj. videtur admittenda; quia, licet prima indecentia excedat secundam propter superioritatem & inferioritatem, secunda tamen excedit ratione longè strictioris vinculi consanguinitatis: ergo. Sed & dato, quod sit major indecentia in 1. gradu affinitatis lineae rectae, quam in 1. consanguinitatis lineae lateralis, nulla tamen ratione potest evinci esse tantam ac talem, quae ex natura rei dirimat & irritat matrimonium, ut patebit ex solutionibus argumentorum. 2. Concilium Agathense Can. 6. & Aurelianense 3. Can. 10. prohibendo matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, simul statuunt non esse dissolvendum, si ante Baptismum contractum fuerit: ergo supponunt Jure naturae esse validum.

Dices 1. Omnes gentes matrimonia in 1. gradu affinitatis lineae rectae semper detestatae sunt, ut naturae contraria. Unde Apost. 1. Cor. 5. dicit: Omnino audietur inter vos fornicatio & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat: ergo. R. 1. dato Ant. ex eo non evincit absolute, quod hujusmodi matrimonia sint Jure naturae irrita; sed bene, quod sint illicita sine urgenti causa. R. 2. N. Ant. Mos enim fuit apud Persas, ut filius mortuo Patre novercam duceret: & teste Valerio Maximo libr. 5. c. 7. Rex Seleucus suam uxorem Straticum cessit proprio filio Antiocho; ex alia uxore genito: nec factum reprehendit Valerius. Unde ad Apostolum dicendum, quod loquatur de Privigno, qui vivente adhuc Patre uxorem ejus acceperat, ut docent S. Anselmus & S. Thom. in hunc locum, colliguntque ex his sequentibus verbis Apostoli 2. Cor. 7. Scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est. &c. Vel si defonorus fuerit Pater, loquitur de copula non maritali, sed fornicaria; aliis, ut patet ex dictis, non potuisset Apostolus dicere, qualis nec inter gentes. Alterutra solutio venit solvendum, quod opponitur ex Levit. 20. Qui dormierit cum Noverca sua, & revelaverit ignominiam Patris sui, morte morietur ambo. Est enim intelligendum vel de Patre adhuc vivente, vel de copula fornicaria, vel quia id est Jure naturae illicitum sine causa gravi.

Reponet D. Thom. loco cit. ad Cor. dixit: Uxor Patris repellitur a matrimonio, sicut persona Patris vel Matris; atqui Pater & Mater repelluntur a matrimonio Jure naturae: ergo. R. D. Thomam paritate facere quoad impedimentum, non quoad Jus illud statuens. Verum est enim, quod uxor Patris repellatur a matrimonio, sicut persona Matris, sed haec Jure naturae, illa Jure Ecclesiastico. Vel loquitur de matrimonio quoad rationem illiciti tantum. Similiter interpretaverit Augustinum, dum dicit libr. 22. contra Faust. c. 6. Si vir & uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia.

Dices 2. In Jure cap. Si vir 35. q. 3. decernitur, tantam debere reverentiam uxori Patris, ac ipsi Patri. Et cap. De propinquis 35. q. 3. dicitur, ita esse abstinendum ab affinibus, sicut a consanguineis: ergo. R. ista Jura verificari secundum Legem Ecclesiasticam; plusquam enim evidens est, longè majorem reverentiam Jure naturae deberi vero parenti, quam ejus uxori; & longè strictius esse Impedimentum ex consanguinitate, quam ex affinitate. Unde, ut dicebamus de S. Thom. & Aug. paritas est in obligatione, aut impedimento, non in Jure obligante, aut statuente.

Dices tandem: Summi Pontifices nunquam in tali matrimonio dispensarunt: ergo. R. N. Consequ. Ex argumento enim negativo nihil hic concludi potest, maxime cum non invaliditas ex natura rei, sed indecentia gravis, quae illic reperitur, potuerit esse causae, cur nec Pontifices dispensaverint, nec fideles dispensationem petierint. Unde potest distingui Ant. Numquam dispensaverint in tali matrimonio, quia invalido, N. quia graviter indecenti, C.

Si opponas cum P. Coninck Concilium Limense, Jura civitatis de quibus aliunde certò & clare non constat; ipsis oppositis Concilia Agathense, Aurelianense supra cit. & etiam Epanense Can. 30.

Petes, utrum manentibus personis, inter quas contracta est affinitas, ipsa desinat, si moriatur persona, ratione cuius contracta est? R. negativè: (Ibid. art. 2. o.) quia causa affinitatis nunquam desinit. Affinitas enim causatur non ex eo solo, quod aliqui conjungantur actu, alioquin, transacta actuali conjunctione, desinerent esse affines; sed ex hoc, quod sint conjuncti: quod autem semel est conjunctum, nunquam

desinit fuisse conjunctum; ut enim communiter dicitur: quod factum est, infectum fieri nequit; atqui, subsistente causa affinitatis, & manentibus personis, inter quas contracta est, non desinit affinitas: ergo. Prob. Min. Relatio, qualis est affinitas, non desinit, nisi ex subtractione causae, vel subjecti: ergo.

ARTICULUS VI.

De Impedimento justitiae publicae honestatis, per Quaestiuiculas.

Petes 1. Quid sit Justitia publicae honestatis? R. (Suppl. q. 55. art. 4. o.) Quod sit propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ex Ecclesiae institutione propter ejus honestatem. Dicitur: Propinquitas ex sponsalibus proveniens; quia, sicut ex matrimonio ipso provenit quaedam propinquitas cum consanguineis conjugis, quae dicitur affinitas; ita ex pactione ipsius matrimonii, seu sponsalibus, oritur quaedam propinquitas, affinitate tamen inferior, quae dicitur justitia publicae honestatis. Dicitur: robur trahens ex Ecclesiae institutione, ut significetur, hanc propinquitatem ex natura rei non habere vim dirimendi matrimonium, sed ex solo Jure Ecclesiastico. Dicitur: Propter ejus honestatem; quibus verbis insinuat causa, cur Ecclesia statuit, eam propinquitatem impedire matrimonium. Aequum est enim & honestati congruum, ut, quia in sponsalibus matrimonium inchoatur, non possit, qui cum aliqua sponsalia inivit, cum illius consanguineis matrimonio copulari. Unde, cum dicitur Justitia publicae honestatis, idem valet, quod Justitia, quae est publica honestas.

Petes 2. Ex quibus sponsalibus oritur istud impedimentum? R. olim oriebatur ex omnibus sponsalibus puris, id est, non conditionatis in futurum, & certis, id est, cum certa & determinata persona, sive validis, sive invalidis, modo non essent invalida defectu consensus. Ita Bonifacius VIII. c. unico de Sponsalibus in 6. tibi sic habetur: Ex Sponsalibus puris & certis, etiam si consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religiosis, aut alia quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax, ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non ad praecedentia dissolvenda, impedimentum justitiae publicae honestatis. Nunc autem Jure novo Trid. Sess. 24. c. 3. oritur ex omnibus & solis validis sponsalibus, non ex quomodocumque invalidis. Justitiae, inquit publicae honestatis impedimentum, sibi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit.

Petes 3. Quo gradu istud impedimentum dirimat matrimonium? R. olim Jure antiquo dirimebat usque ad 4. gradum: nunc autem Jure novo Trid. loco cit. non excedit primum: Ubi autem valida fuerint sponsalia, subjungit S. Synodus post verba mox allata, primum gradum non excedat. Hinc sequitur, sponsum non posse validum matrimonium inire cum matre, aut sorore sponsae, nec sponsum cum Patre, aut fratre sponsae; posse tamen cum ulterioribus consanguineis. Si ergo sponus de facto contraheret matrimonium cum sorore sponsae, deberet redire ad priorem sponsam. Si autem carnaliter cognosceret secundam, neque hanc, neque priorem posset ducere; non priorem, propter affinitatem ex copula cum secunda; neque secundam, propter publicam honestatem ex sponsalibus cum prima.

Petes 4. Utrum istud impedimentum duret post mortem alterutrius sponsae, aut sponsi? R. affirmativè. Ratio est eadem ac de affinitate, de qua art. praeced. in Resp. ad Petitionem in calce articuli.

Petes 5. An etiam duret, etsi sponsalia mutuo consensu, vel ex alia justa causa dissolvantur? R. affirmativè, eadem semper ratione. Sed & advertet, quod traditur in declaratione Cardinalium sub Alexandro VII. apud Prosp. Fagnanum, in cap. Ad audientiam de Sponsal. & Matrim. & Tamb. cap. 9. art. 7. Ubi post narratum casum Alphonsi Rodriguez, qui post sponsalia contracta cum Isabella Ruiz, & in hujus gravi morbo mutuo sanoque consensu dissoluta, postea volebat contrahere cum Maria ejusdem Isabellae sorore, sic habetur: Juvante sanctissimo Domino nostro, propositum fuit in Sacra Congregatione Concilii: An sponsalibus valide initio contractis, desint mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiae publicae honestatis. Et dubio pluries proposito, & maturè examinato, tandem sub die sexta Julii anno 1658. Eminentiissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consentientes, censuerunt non esse sublatum. Cujus sententia, una cum rationibus hinc inde deductis, & recentibus ejusdem Congregationis in hac materia Responsis, facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua die 10. ejusdem mensis praedictae Congregationis probavit Conclusionem, eamque jussit in dubium deinceps non revocari. Itaque corrigenda videtur opinio contraria Barbosa, nostri Genet. & quorundam aliorum, qui fundantur in quadam anteriori declaratione ejusdem Congregationis; de qua aliunde certò non constat.

Ob.



## Observanda circa Constitutionem Bonifacii VIII.

CUM Bonifacius VIII. in Constitutione supra citata decretat, impedimentum publicæ honestatis oriri ex quibusvis sponsalibus puris & certis, etsi invalidis, modo non sint invalida defectu consensûs; inde colligunt communiter Theologi & Jurisconsulti, paucis exceptis, idem censendum esse a fortiori de impedimento vel affinitatis imperfectæ secundum nos, vel publicæ honestatis secundum alios, quod oritur ex matrimonio rato non consummato, illud scilicet causari, quantumvis matrimonium sit invalidum, modo sit purum & certum, nec sit invalidum ex defectu consensûs. Et cum Pius V. Bulla *Ad Romanum Pontificem*. 1. Julii ann. 1568. declaraverit, restrictionem factam a Concilio Trid. circa impedimenta publicæ honestatis procedere tantum de impedimento orto ex sponsalibus, non de illo, quod oritur ex matrimonio rato non consummato; concludunt præfati Theologi, istud impedimentum ex matrimonio rato, etsi invalido, ut dictum est, adducere non vigere, juxta Jus antiquum Bonifacii VIII. & matrimonium dirimere usque ad quartum gradum. Quapropter ex matrimonio contracto cum Monacho, consanguineo, &c. & etiam clandestino, oritur hoc impedimentum; quia revera non est invalidum defectu consensûs, sed defectu solemnitatis ab Ecclesia requisitæ. Non oritur autem ex matrimonio ficto contracto, licet exterius præsumatur validum, & probari non possit fictio, quidquid contradicatur alioqui; quia ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Decernit autem Jus sine aliqua restrictione, tale impedimentum non oriri ex matrimonio invalido defectu consensûs. Cæterum adverte, neque tunc ex talibus, neque tunc ex tali matrimonio, ex natura rei ullam oriri propinquitatem sive affinitatis, sive publicæ honestatis, cum revera invalida sint; sed propinquitatem ipsam, sicut vim ejus impediendi matrimonium, ex sola ordinatione Ecclesiæ ortum habere.

## ARTICULUS VII.

## De Impedimento Cognationis Spiritualis, per Quæstionculas.

Cognatio spiritualis est, ut jam diximus, propinquitas quædam personarum, Jure Ecclesiastico introducta ratione generationis spiritualis in Baptismo, aut Confirmatione. Circa quædam

Petes 1. Utrum cognatio spiritualis oritur tantum ex Baptismo & Confirmatione? R. affirmativè. (*Suppl. q. 56. art. 2.*) Ità cap. finali de cognatione spirituali in 6. Ratio congrua est; (*Ibid. ad 1.*) Quia cognatio spiritualis contrahitur per generationem spiritualem; negat enim ad instar cognationis carnalis, quæ contrahitur per generationem carnalem; atqui in Baptismo est spiritualis generatio, in Confirmatione complementum ejus; non verò in aliis Sacramentis: ergo. Prob. & explicatur Min. ex analogia ad generationem carnalem. Duplex est carnalis generatio, seu natiuitas. Prima in utero, in quo id, quod natum est, primò accipit vitam; & est adhuc idèo debile, quod non possit extrà poni sine periculo: & huic generationi, seu natiuitati assimilatur regeneratio per Baptismum, in quo aliquis primò regeneratur, sed quasi adhuc fovendus intrà uterum Ecclesiæ. Secunda est natiuitas ex utero, quando id, quod jam natum erat in utero, tantum roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere: & huic assimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi: ergo.

Petes 2. Inter quos contrahatur cognatio spiritualis? R. 1. (*Ibid. art. 3. 4. & 5.*) Contrahitur 1. inter baptizantem & suscipientem ex una parte, & baptizatum ex altera; & dicitur *Paternitas*. 2. Inter baptizantem & suscipientem ex una parte, & Parentes baptizati ex altera, & dicitur *Compaternitas*. Idem dic de Confirmatione. R. 2. Olim trahebatur ista cognatio a viro in mulierem carnaliter cognitam, & e contra, & a Parentibus in filios carnales respectu filii spiritualis, & dicebatur *Fraternitas*. Sed nunc Jure novo Tridentini loco citato hæc subblata sunt, & restricta ad terminos primæ Responsionis. Unde colliges, inter Patrum & Matrum, inter Filiorum & uxorem, aut filias Patrum nullam contrahi cognationem spiritualem.

Petes 3. Utrum cognatio spiritualis impediat & dirimat Matrimonium? R. (*Ibid. ad 1.*) Cognatio spiritualis antecedens Matrimonium illud impedit & dirimit ex statuto Ecclesiæ. Ità decernitur in Jure cap. *De eo causa 30. q. 1. c. Veniens* & c. ultimo de conatione spirit. & in Concilio Trid. cit. Ratio congrua est; (*Ibid.*) quia, sicut homo per carnis propagationem accipit esse naturæ, ita per Sacramenta Baptismi & Confirmationis, ut explicatum est, accipit esse spirituale gratiæ:

ergo, sicut vinculum naturale, quod contrahitur ex carnis propagatione, impedit & dirimit matrimonium; ita spirituale, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, convenienter ex statuto Ecclesiæ impedit pariter & dirimit matrimonium.

Dixi 1. in responsione: *Ex Statuto Ecclesiæ*, quia constat, non Jure naturæ, sed solo Jure Ecclesiastico, cognationem spiritualem esse impedimentum matrimonii; paritas enim allata ex D. Thom. non est cogens, sed tantum conveniens; cum rationes, quibus carnalis cognatio in aliquo gradu Jure naturæ dirimat Matrimonium, non militent saltem eadem vi pro cognatione spirituali: imò nec ipsa cognatio, quæ talis, seu quæ Paternitas & Compaternitas, ullum habet in natura fundamentum, sicut habet cognatio carnalis; sed in solo Ecclesiæ statuto, per quod fit, quod baptizans, aut suscipiens Patres spirituales dicuntur, eò quod per Sacramentum, cui cooperantur ministerialiter, infundatur gratia, quæ est vita æternæ.

Nec refert, quod S. Thom. in o. dicat, hoc vinculum esse aliquo modo naturale homini, in quantum fit membrum Ecclesiæ; id est, analogicè: tum quia non dicit, esse naturale, sed aliquo modo, id est, analogicè: tum quia non dicit, esse naturale simpliciter, sed reduplicativè, *In quantum fit membrum Ecclesiæ*. Quod autem sit Ecclesiæ membrum, non est ei naturale, sed supernaturale; & idèo in definitione cognationis spiritualis, supra tradita, adjectimus *Jure Ecclesiastico introducta*.

Dixi 2. (*Ibid.*) in responsione: *Cognatio antecedens*, quia, si subsequatur matrimonium, vinculum ejus non dirimit, sed ejus actum ex parte impedit, nisi inducta fuerit per necessitatem, aut ignorantiam inculpabilem. Itaque, si unus conjugum, sciens & extrà casum necessitatis, suam prolem baptizat, amittit jus petendi debitum: licet debeat reddere, si petatur; quia ex culpa ejus non debet aliquid incommodum reportare compars innocens. Ità colligitur ex Jure cap. *Si vir de cognatione spirituali*, cap. *De eo causa 30. q. 1.* Si autem per ignorantiam inculpabilem contrahat, Parentem baptizare prolem suam, puta quia invincibiliter credit alienam, aut si sciens propter necessitatem tamen urgentem id faciat, licet cognationem spiritualem cum conjugæ contrahat, potest tamen debitum & petere & reddere. Ità in Jure cit. 30. q. 1. cap. *Ad limum*, & in Rituali Romano Pauli V. Ratio est; quia necessitas, ut caret lege, sic & a pena legis excusatur; nec quisquam sine culpa, aut propter actum bonum, puniri debet, ac privari jure acquisito.

Si quæras: an idem dicendum de eo, qui antè matrimonium baptizaret in necessitate prolem alterius, ita scilicet quod posset inire Matrimonium cum Matre? videtur, quod sic; quia ut modò dicebamus, sine culpa & propter actum bonum, imò & necessarium, nemo debet gravari ferre; esset autem tali homini gravamen, si matrimonium cum tali ipsi interdiceretur. R. tamen probabilius negativè cum Soto & Sylvio; quia licet Jura excipiant casum de usu matrimonii, ubi jam contractum est, non tamen excipiunt casum matrimonii contrahendi: ubi autem Jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. Unde dicendum, quod tali revera contraheret cum Matre cognationem spiritualem, matrimonium contrahendi impeditivam.

Ad rationem oppositam R. 1. quod in priori casu jus sit jam acquisitum ad debitum, non in posteriori: unde est quedam disparitas. 2. Cognatio in extrema necessitate contracta, quæ subsequens matrimonium dirimat, non tam ad prænam, aut gravamen, quam ad quoddam amicitie genus pertinet.

Petes 4. Utrum & quæ conditiones requirantur, ut hæc cognatio & impedimentum ipsi annexum contrahantur? R. 1. Ex parte Sacramenti requiritur & sufficit, quod sit verum & validum. Unde ex Baptismo, sive domi, sive in Ecclesia, sive cum cæremoniis, sive sine illis, sive in necessitate, sive extrà, ministrato, contrahitur inter omnes enumeratos petitione 2. Ex Cæremoniis autem, quæ sunt in Ecclesia post Baptismum domi ex necessitate validè collatum nulla contrahitur cognatio.

2. (*Ibid. ad 3.*) Ex parte Ministri & susceptorem requiritur, quod sint baptizati; quia, qui est expert viæ spiritualis, non est capax cognationis spiritualis: licet autem Susceptores in Confirmatione ex præcepto Ecclesiæ debeant etiam esse confirmati, probabile est tamen, quod, hoc non obstante, contraherent etiam spiritualem cognationem; quia per Baptismum sunt capaces illius. Ità Sylvius contra Conicæ.

3. Debent Susceptores esse designati a Parentibus, vel saltem a Parocho (cujus est in Parocho defectum designare): unde, si plures, aut alii, quam designati Baptizatum tetigerint, vel susceperint, non contrahunt cognationem spiritualem. Ità Concilium Trid. Sess. 24. c. 2. cit. ubi statuit: *ut Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat. . . Quod si alii ultra designatos* Bap-

Baptizatum tetigerint, cognatione spiritualem nullo pacto contrahant. Possunt autem designari ad summum unum, & una, ut declaravit ibidem Concilium.

Ex quo colliges, quod, dum quis per Procuratorem levat infantem, ipse Procurator non contrahat cognationem, quia ipse non est designatus; nec proprio nomine levat, sed nomine Patris designati. Ipse autem Patris designatus verisimiliter contrahit; quia ipse verè ut designatus officium susceptoris exercet, & suscipit, quamvis per alium: actionem autem personalem ad id requiri, ut vult Soto, non satis evincitur: & ità declarasse Congregationem Cardinalium, referunt Fagnanus ad cap. *Veniens* de cognat. spirit. & Gonet hic num. 49. his verbis: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.*

Petes 5. Si plures quam unus, & una designati, & a Parocho admissi, infantem tangant, & suscipiant, quinam contrahant cognationem? R. quod ita contrahant, qui primus, & prima tangunt, & suscipiunt. Si autem omnes simul, Suarez vult, nullum contrahere; quia resistit Trid. Sed Navarrus, Molanus, Vivaldus, Cabrera, Sylvius, Henriquez, &c. probabilius docent, omnes contrahere: quia Concilium videtur tantum prohibere talem consensum, non actum irritare. Fovetque modus loquendi Concilii: *Si Parochi culpa, aut negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur*; cum aliqui dicendum fuisset: *Nulli contrahant*. Non contraherent verò, qui a Parentibus designati a Parocho non admitterentur, neque qui a Parocho admitterentur ultra designatos a Parentibus. Undè similè requiritur, & designatio Parentum, & acceptatio Parochi. Ità colligitur ex textu Trid. Nisi in defectum Parentum Parochus aliquos designaret, tunc enim illi contrahant.

Petes 6. tandem: utrum requiratur, quod susceptores tangant corporaliter Baptizatum, tenendo, offerendo, levando, aut alio simili modo, dum acta baptizatur. R. Sylvius 3. p. q. 67. art. 7. refert hæc de re varios variarum Diocesium usus. Ex quo inferri sufficere, quod susceptores verbo, aut assistentia declarent se officium susceptoris suscipere. Alii autem referunt declarationem Cardinalium ad sess. 24. Tridentini impressionis Lugdunensis ann. 1640 qua decernitur requiri, ut Computar, Commatæ teneant eum, qui baptizatur, aut confirmatur, vel saltem de manibus Baptizantis cum immediatè suscipiant: ità ut non sufficeret v. gr. Commatæ, si de manibus Computar susceperet, aut e contra. Ità Gonet n. 48. Sanchez, Perez, Pontius, Bonac. Gobat, quos citat, & sequitur Sporer; qui insuper faciunt vim in hoc, quod Concilium Trid. utatur semper verbis, *tangendi, levandi, tenendi*, &c. Undè videtur huic secundæ sententiæ adhaerendum, & ad oppositam sententiam Sylvii dicendum, quod usus, & auctoritates quæ citat, conveniant omnes quod factum, scilicet esse tangendum; discrepare autem solum quoad tempus tangendi. Videlicet.

Utrum autem debeant tangere, dum actu baptizatur, aut confirmatur? R. id ordinariè, & convenienter observari debere, ut sic verè dicantur susceptores. Non videtur tamen essentialiter requiri, sed sufficere, quod paulò post tangant, ut declarat praxis. Videtur etiam, quod tactus non debeat esse necessario immediatus; sed sufficere, quod fiat medianibus vestibus, linteis, disco, &c.

## ARTICULUS VIII.

## De Impedimento cognationis legalis, per Quæstionculas.

Cognatio legalis est quedam propinquitas, orta ex adoptione. Undè

Petes 1. Quid, & quotplex sit adoptio? R. 1. (*Q. 57. art. 1. o.*) Adoptio recitè definitur: *Extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio*. Ad cujus intelligentiam (*Ibid.*) observandum est, quod, cum ars imitetur naturam, & illius suppleat defectum in iis, in quibus deficit, Jus autem sit ars æqui, & boni, Juris conditores excogitaverunt, ut, quemadmodum per generationem naturalem aliquis produciatur, ita ubi natura deficeret, & filios non procrearet, posset quippiam spontanea electione aliquem extraneum instar naturalis filii sibi assumere, quæ filiorum deperditionum defectum suppleret, & inde solatium caperet; propter quod præcipuè adoptio est introducta. Undè, sicut in generatione naturali est terminus ad quem, forma scilicet, quæ est finis generandi, & terminus a quo, scilicet forma contraria, seu forma privatio, ita ut de non homine fiat homo; ita pariter in generatione legali est terminus a quo, & ad quem, ita ut de non filio filius, de non nepote nepos. His notatis

Probatur Responsio. (*Ibid.*) Hæc definitio constat genere, & differentia, atque explicat terminum a quo, & quem Theol. Billuart. Pars Tertia.

adoptionis: ergo est bona. Prob. Ant. *Assumptio* est genus, *legitima*, id est, juxta leges, est differentia, quæ a naturali generatione discrepat: dum dicitur *extraneæ personæ* designatur terminus a quo; & terminus ad quem, cum dicitur *in filium, vel nepotem*: ergo. Porro per Ly *Extraneæ* non intelligitur, quæ sit a genere adoptantis prorsus aliena: nam Jacob filios filii sui Joseph adoptavit Gen. 48. sed quæ sit extrà potestatem adoptantis, & aliena a jure, ad quod assumitur. Dicitur autem, *in filium, vel nepotem*, & deinceps; (*Ibid. ad 6.*) quia, sicut contingit amitti filios, ita & nepotes. Et idèo, cum adoptio sit inducta in solatium filiorum amissorum, sicut aliquis per adoptionem potest surrogari in locum filii, ita in locum nepotis, & deinceps.

R. 2. (*Ibid. ad 1.*) Duplex est Adoptionis species: una, quæ perfectè imitatur naturalem filiationem, per quam traducitur adoptatus in potestatem & familiam adoptantis ut naturalis ejus filius: proprio nomine vocatur *Adrogatio*. Altera, quæ imperfectè imitatur filiationem naturalem, per quam adoptatus non transit in potestatem & familiam adoptantis; & communi nomine vocatur *Adoptio simplex*. Differunt autem istæ duæ Adoptiones inter se 1. Quod adrogatus transeat in potestatem adrogantis sicut filius ejus naturalis, ut dictum est, subindeque est hæres necessarius Patris, quem nec Pater potest privare sine culpa Legitima, scilicet quarta parte hereditatis. Adoptatus autem simpliciter non transit omnino in potestatem adoptantis; subindeque, licet sit hæres ab intestato, non tamen necessarius; nec tenetur adoptans ei aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit. Undè talis adoptio non est vera adoptio; sed magis dispositio ad perfectam adoptionem. 2. Adoptari potest, qui non est sui juris, non autem adrogari. 3. Adrogatio fieri non potest nisi auctoritate Principis. Adoptio simplex auctoritate solius Magistratus. Ità in Jure lib. *Generalis* ff. de Adopr. & Institut. §. *Adoptio*.

Petes 2. Quinam generaliter possint adoptari, & adoptare? R. (*ib. art. 3. ad 3.*) Adoptari possunt tam viri, quam femine, sui juris tamen, si agatur de adoptione perfecta. Adoptare verò possunt. 1. Soli viri regulariter, non mulieres, nisi ex speciali concessionem Principis. 2. Ii soli, qui sunt prorsus sui juris. 3. Nati viginti quinque annos. (*ad 4.*) 4. Soli naturaliter potentes ad consummationem matrimonii. 5. Octodecim annis majores adoptato. Ità in Jure, de quo vide Sylvestrum verbo *Adoptio* q. 5.

Petes 3. Utrum legalis cognatio impediat & dirimat matrimonium? R. Cognatio legalis, quæ provenit ex adoptione perfecta, impedit & dirimit matrimonium Jure humano per Ecclesiam approbato. Patet ex pluribus locis Juri cap. *Ita diligere*, cap. *Post susceptum*, cap. *Per adoptionem* Caus. 30. q. 3. c. unico de *Cognatione legali*, lib. 4. Decretal. ubi Nicolaus Papa dicit: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cepert, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt*. Rationes convenientes hujus legis eadem sunt ac impedimenti cognationis carnalis, quæ etiam pro legali suo modo militat. Inter alias hanc deducit D. Thom. (*Ibid.*) Lex divina illas præcipuè personæ a matrimonio excludit, quas necesse erat cohabitare, ne, ut Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret tui carnali copula, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum; atqui filius perfectè adoptatus conversatur in domo Patris adoptantis sicut filius naturalis: ergo convenienter Legibus humanis & Ecclesiasticis prohibuitur est, inter tales matrimonium contrahi.

Dixi: *Cognatio, quæ provenit ex adoptione perfecta*: ea enim, quæ provenit ex adoptione imperfecta, non dirimat; quia eadem rationes non currunt pro ea, ac pro perfecta; nec est vera adoptio, sed potius via ad veram adoptionem, inquit S. Thom. eamque esse illius mentem patet, tum ex o. tum ex Resp. ad 1. & 4. art. sequentis. Ità etiam censent Soto, Sylvester, Ledesma, &c. quos citat & sequitur Sylvius.

Petes 4. Inter quos contrahatur cognatio legalis, seu quot sint ejus species? R. (*Ibid. art. 3. o.*) Triplex est legalis cognatio. Prima quasi descendens, quæ contrahitur inter Patrem adoptantem ex una parte, & ex altera filium adoptatum; filium filii adoptivi, nepotem, & sic deinceps usque ad quartum gradum verisimiliter, ad instar cognationis carnalis. Secunda quasi collateralis, quæ est inter filium adoptivum & filios, seu filias naturales adoptantis. Tertia per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter Patrem adoptantem ex una parte & uxorem filii adoptivi ex altera; & e contrario inter filium adoptatum & uxorem Patris adoptantis. Est autem inter eas cognationes differentia, quod prima & tertia perpetuè matrimonium impediunt, id est, etiam post dissolutionem adoptionis, aut emancipationem adoptari. Secunda autem non, nisi quamdiu persona adoptata manet in potestate Patris adoptantis: unde Patre mortuo, vel filio, aut filia emancipatis, po-



tant contrahi matrimonium inter filium adoptivum & filiam naturalem adoptantis, & contra. Ita in Juribus citatis.

ARTICULUS IX.

De Impedimento Impotentia.

Nota 1. Nomine impotentia hic non intelligi impotentiam generandi, sed impotentiam coeundi carnaliter usque ad consummationem copulae. Inter senes enim & steriles ad generationem ineptos validum est matrimonium, modo sint apti ad copulam carnalem; quia consummatio matrimonii non consistit in actuali generatione, sed in hoc, quod vir & uxor fiant una caro per commixtionem seminum. Igitur impotentia, de qua hic agitur, est defectus impediens copulam conjugalem, hoc est, seminationem in vase idoneo, & commixtionem seminum, seu eorum, quae sunt loco seminum ex parte mulieris. Unde, quantumvis vir vas mulieris penetret, si in eo seminare non possit, impotens censetur: quia tunc non consummatur matrimonium, nec fiant caro.

Nota 2. (Q. 58. art. 1. o.) Multiplicem distingui impotentiam. Alia est ex causa intrinseca & naturali, ut ex frigidityte, quae quia est causa frequentior, sub frigiditytate nomine comprehenditur omnis impotentia naturalis; quia tamen potest etiam provenire ex variis aliis capitibus, puta ex nimia arctatione mulieris, ex privatione naturali membrorum, & etiam licet rarius ex nimio calore. Alia est ex causa extrinseca & accidentali, ut ex maleficio. Item (Ib.) alia est perpetua, alia temporalis. Perpetua dicitur, quae sine aut miraculo, aut peccato, aut gravi mortis periculo, tolli non potest, quantumvis possit istis tolli. Temporalis est contra, quae per media artis, aut preces Ecclesiae communes sine miraculo, peccato, aut mortis periculo tolli potest. Tandem (Ibid. ad 2. o.) alia est absoluta, quae est in viro per ordinem ad omnes mulieres, vel in muliere ad omnes viros; alia respectiva, quae tantum constituit impotentem respectu unius determinatae personae, non aliarum.

Dico. (Ib. art. 1. o. & 2.) Omnis impotentia antecedens perpetua, sive naturalis, sive accidentalis sive absoluta, sive respectiva inter eos, inter quos subsistit, impedit & dirimit matrimonium Jure naturali & Ecclesiastico; secus, si sit temporalis. De Jure Ecclesiastico quoad primam partem constat ex cap. Quod sedem cap. Fraternalitatis, cap. Litterae & alius de frigiditate & maleficio. De Jure naturae probatur (Ibid. art. 1. o.) ille contractus est Jure naturali nullus, in quo quis se obligat ad id, quod non potest dare, vel facere; atqui laborans impotentia coeundi perpetua se obligat in contractu matrimonii ad id, quod non potest dare, vel facere: ergo. Maj. patet, quia nemo potest se obligare ad impossibile. Prob. Min. Contractus matrimonii consistit in hoc, quod conjuges se obligant ad copulam carnalem, seu mutuo sibi debitum solvere: quia ad hoc dant sibi invicem corporis potestatem, juxta illud Cor. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Unde materia contractus matrimonii non est corpus tantum, sed corpus cum potentia coeundi: & ita declaravit Sixtus V. Bulla Cum frequenter ann. 1587. ergo.

Prob. 2. Pars 1. Ex cap. cit. Fraternalitatis. 2. Quia impotens ad tempus tantum potest ex nunc tradere corpus cum obligatione copulae, ubi impotentia cessaverit: sicut, qui non est hodie solvendo, potest se obligare ad solvendum, quando habebit pecunias. Notandum tamen, quod si talis impotentia sit diu duratura, nec de illa partem moneat, graviter peccat sic contrahens, propter injuriam comparti irrogatam; subsistit tamen matrimonium. Dixi; Impotentia antecedens; quia, si superveniat matrimonio semel legitime contracto, etiamsi non consummato, illud non dirimit, tunc propter ejus indissolubilitatem, ut decernitur cap. Hi, qui matrimonium 32. q. 7. tum etiam propter ipsius contractus naturam, qui non dissolvitur, eo quod res vendita aut tradita deterioretur, modo tempore contractus bona esset, & sufficiens.

Dices 1. Copula carnalis non est de essentia matrimonii. Unde supra diximus, pari voto continentibus posse valide conjugi, ut in B. Virgine, & S. Joseph: ergo. R. (Ibid. ad 1.) Quod, quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii; tamen potentia ad actum est de ejus essentia: quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae. Voto autem continentibus, etsi sint moraliter impotentes, retinent tamen semper potentiam naturalem & physicam, quae sufficit.

Dices 2. Si mulier sciat, virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est matrimonium, ut admittit D. Thom. hic ad 4. his verbis. Sic sciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, ostenditur, quod

alium finem ex contractu querit, & idem contractus stat. Si autem nescit, tunc contractus est nullus: ergo frigiditas de se, & ex natura rei non tollit matrimonium. R. quod frigiditas perpetua, sive sciatur, sive non, tollat matrimonium: quia in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille, qui est impotens (perpetuo scilicet) ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad ejus solutionem. Verba sunt D. Thomae in eadem Resp. ad 4. & ita declaravit Sixtus V. Bulla cit. Unde ad textum objectum R. cum Soto & Sylvio, intelligendum esse de impotentia temporali, quae si sciatur, quamvis non tollatur, non impedit, quin sit verum conjugium. Si autem ignoretur, accidere potest, quod tollat matrimonium, quando scilicet tollit consensum; etsi regulariter id non accidat. Hanc autem esse mentem Auctoris, patet ex hoc, quod loquatur de impotentia comparative ad servitutum, quae tolli potest; & alias sibi in o. & in eadem solutione contradiceret. Quidam respondent, S. Thomam loqui de contractu amicitiae societatis, non matrimonii, sed prior explicatio magis consentanea videtur.

Consecutaria precedentis Doctrinae.

Ex dictis colliges 1. Eunuchos, Spadones, utroque testiculo orbatos, absolute esse incapaces matrimonii; quia sunt perpetuo impotentes: licet enim vas mulieris penetrare valeant, tamen vel non seminant, vel semen eorum non est ejusdem rationis cum prolifico. Similiter, si uterque testiculo sit omnino attritus; secus vero, si uno demtaxat testiculo careant. Colliges 2. Senes, qui non possunt, vel membrum erigere, vel intra vas seminare, invalide contrahere. Equidem quoscunque jungit Ecclesia, sed quia supponit capaces, cum senectus ordinare potentiam non auferat. E contra moribus ordinare posse valide contrahere, quia etsi vi morbi potentia sit in eis impedita, ordinare tamen non censetur ablata. Colliges 3. Mulieres, quae ita sunt arctae, ut viris suis aptari non possint ad copulam, matrimonium invalide contrahere. Solam tamen impotentiam foeminae ad seminandum multi censent non dirimere matrimonium, quia juxta D. Thom. semen ejus non est necessarium ad generationem. Unde sufficienter fit una caro cum viro per hoc, quod viri semen intra se recipit. Ex quo ulterius inferunt, nihil etiam officere validitati matrimonii, si sit impotens ad retinendum virile semen, postquam semel illud intra se suscepit. Sed hoc secundum non ita videtur certum in principiis D. Thomae, qui requirit ad consummationem matrimonii, quae vir & mulier censetur una caro, quod fiat commixtio seminum, seu eorum, quae sunt loco seminis ex parte mulieris, ut explicamus supra.

Petes, an, si arctitudo illa mulieris possit dilatari, teneatur mulier illam dilatationem pati? R. Quod si per levem incisionem possit mulier viro aptari, cum tunc impotentia non sit perpetua, adeoque stet matrimonium, tenetur operationem pati, ut satisficiat justitiae debito; nisi tamen ex illa incisione sequatur maximum incommodum, tale quale ipsam excusaret ad reddendum debito: tunc enim, etsi matrimonium valeret, non teneretur illam operationem admittere. At, si ista mulier non possit viro suo aptari sine periculo vitae, tunc cum non staret matrimonium, quia censetur perpetuo impotens, non teneretur pati incisionem: & si forte paratur & curetur, velique cum eodem viro commanere, debet iterari matrimonium, utpotè prius invalidum.

Colliges 4. Matrimonium impuberum (Pubertas in masculis est anno 14. in feminis 12.) si ante hoc tempus sint capaces consensu matrimonii, non esse Jure naturae irrita, etsi tunc temporis propter aetatis defectum essent copulae incapaces, quia talis impotentia non est perpetua. Jure Ecclesiastico tamen cap. Tua nobis, cap. Continebatur, cap. De illis de desponsat. Impub. irritatur, nisi malitia suppleat aetatem, & quoad consensum, & quoad copulam, ut dicimus art. seq. Colliges 5. Hermaphroditos non esse absolute impotentes. Unde possunt valide contrahere matrimonium juxta sexum, qui praevaleat: si autem uterque sit in ipsis aequalis: possunt & debent alterutrum eligere, & secundum illum contrahere: sed semel facta electione, si compar moriatur, prohibentur secundum alium sexum nubere: si tamen faciant, stat matrimonium; quia per electionem non est sublata potentia. Colliges 6. Laborantes impotentia antecedente perpetua, ex quavis causa procedat, ubi de ea constat, statim esse separandos, utpotè nullo modo conjuges: si tamen velint cohabitare ut frater & soror; id ipsi conceditur cap. Requisti 33. q. 1. modo id possint sine periculo incontinentiae, vel scandali. Alioquin omnino separantur auctoritate Judicis, relicta ei, qui potens est, libertate transvolandi ad alias luptas; vel etiam utrique, si in ipsis sit impotentia

res-

respectu tantum; quas si attentent ante sententiam judicis de eorum separatione, valebunt quidem, sed graviter peccabunt propter scandalum. Sed

Petes 1. Quid factu opus, si dabitur, an impotentia sit perpetua, vel temporalis. R. (Ib. art. 1. o.) Ecclesiam tempus determinatum adhibuisse, in quo hujus rei possit esse experimentum, scilicet triennium cap. Laudabilem de frigidis, ita quod, si post triennium, quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulae implendae, adhuc fuerint sufficienter alia media communia, sive naturalia, si impotentia sit naturalis, sive supernaturalia ut preces, exorcismos, &c. si sit ex maleficio, inventur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiae dissolvitur, & impotentia censetur perpetua.

Illud autem triennale spatium computatur a tempore celebrati conjugii, cap. citato, supposito tamen quod ex tunc attentata sit copula. Unde multi dicunt a die attentatae copulae; si enim ob infirmitatem, absentiam, aliudve impedimentum, sufficienter non adhibuerint experientiam, censent Auctores posse etiam ultra triennium experiri: secus, si sufficienter experimentum adhibuerint sit; tunc enim non plus illis licet, quam soluti. Attamen in nonnullis Galliae Provinciis videtur consuetudo triennis non servari; in quibusdam quidem conceditur tantum experientia trimestris; in aliis experientia unius diei a iudice praefixi, seu etiam 3. vel 4. horarum cum certis conditionibus; sed tam breve experimentum ipsimet Doctores Galli merito improbant, ut Cabassentius, Marbesius Natalis Alex. lib. 1. de Matrim. c. 4. art. 11. reg. 10. apud quem Cyprianus Ep. 62. monet, quod in exploranda peccellam Virginitate: Et manus obstrictum, & oculis saepe falluntur.

Petes 2. Quid, si post judicium Ecclesiae, vel medicorum de perpetuitate impotentiae, & separationem factam, contingat eam impotentiam tolli, quod dignosci potest maxime in impotentia naturali, si is, qui erat absolute impotens, perfectam copulam cum alia: aut si erat respectiva impotens, perfectam cum eadem, seu etiam cum alia similis conditionis? R. quod, si sit sublata haec impotentia per miraculum, vel per medium illicitum, vel cum vitae periculo, recte judicatum fuit prius matrimonium irritum; debentque manere separati conjuges, & liberi; vel inter se de novo, vel cum aliis contrahere; quia revera erat ex se perpetua impotentia.

Si vero sublata sit per media ordinaria, tunc inquit S. Thom. (Ib. o.) Ecclesia, quae se deceptam invenit, utpotè quod iudicaverit perpetuam impotentiam, quae revera non erat perpetua, redintegrat precedentem matrimonium; & secundum, si attentatum fuerit, dirimit, quamvis de ejus licentia factum, ita etiam c. Laudabilem, & cap. Fraternalitatis de frigidis. Si tamen alter conjugum separatorem Religionem professus fuerit, non potest redire ad compartem; & si nondum professus velit proficere, non tenetur redire; uxor autem potest alteri nubere, ubi professus fuerit. Quod si ante professionem nuperit, separanda est a secundo viro, eo quod, priorem nondum professo, matrimonium cum secundo, sit nullum. Si vero vir susceperit sacrum Ordinem, & ab uxore repetatur, redire ad eam tenetur. Si non repetatur, potest manere in Ministerio, & uxor cum altero valide contrahere non potest, quia prius matrimonium subsistit.

Petes 3. Quibus signis poterit dignosci, esse impotentiam ex maleficio, adeoque adhibendos esse exorcismos? R. dignosci posse, si vir, qui polluitur in somno, vel calidus est extra copulam, ad accessum foeminae, etsi aliunde amabilis, totus frigidescit. Similiter, si mulier ad congressum viri aliunde dilecti subito coarctetur. Si conjuges, qui antea se diligebant, subito reddantur sibi mutuo exosi. Si omnia membra ex utraque parte sint rite disposita cum erectione, & calore; & tamen coire nequeant: item variis aliis signis, quae frigiditati naturali non competunt.

Petes 4. Quibus remediis occurrere possit impotentia ex maleficio? R. 1. Adhiberi debere preces, penitentiam, exorcismos, & similia ab Ecclesia instituta, & probata. 2. Posse adhiberi remedia naturalia, quando maleficio habet causam naturalem. 3. Non posse peti a maleficio, etsi parato, ut per aliud maleficio tollat; quia, cum maleficio sit intrinsecum malum, esset cooperari ejus peccato. 4. Possunt destrui signa maleficii in contemptum, & detestationem demonum, ejusque artis superstitiosae. An autem spe, & intentione cessaturi nocuenti id liceat? Vide, quae de re dixi in Tract. de Religione Dissert. 7. art. 5. §. 2.

Petes 5. Utrum detur impotentia naturalis perpetua respectiva. R. S. Thom. art. 2. o. & art. 1. ad 4. videtur sentire negativè. Dicendum, inquit loco ultimo, quod non potest esse perpetuum impedimentum naturale viro respectu unius personae, & non respectu alterius. Et cum sibi objecisset, quod aliquando Theol. Billuart. Pars Tertia.

vir est sufficienter calidus ad cognoscendam corruptam, qui non est sufficienter ad cognoscendam Virginem ob resistantiam claustrum Virginis, subiungit: Sed, si non possit implere carnalem actum cum Virgine, & tamen possit cum corrupta; tunc medicinaliter aliquo instrumento possunt claustra pudoris frangi, & ei conjugi. Nec esset hoc contra naturam; quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.

Attamen, cum iudices Ecclesiastici, & plures Auctores sequantur sententiam oppositam, possitque accidere, quod claustra pudoris frangi non possint sine periculo vitae, aut non nisi per miraculum, quo casu tunc foret impotentia perpetua respectiva, priora verba D. Thomae videntur intelligenda de impotentia absolute, & omnino naturali; ita quod sit absolute talis independentè ab impedimento, seu resistantia accidentali alterius: idque non leviter innuit, dum in fine ejusdem Responsionis dicit, quod, qui foret frigidus, seu impotens respectu turpis mulieris, de eo idem sit censendum, ac de maleficio, scilicet quod possit esse potens respectu alterius. Unde posteriora verba de casu Virginis intelligenda sunt secundum id, quod ordinariè accidit; sicut, dum dicit impotentiam ex maleficio esse respectivam art. 2. o. intelligit secundum id, quod ordinariè accidit: ordinariè enim claustrum Virgine per instrumentum chirurgicum, seu medicinas vasis laxatas absque vitae periculo, aut miraculo potest aperiri. Si tamen contrarium accidat, quod nihil repugnare videtur, deberet censeri perpetua impotentia respectiva: & ita tenet Soto d. 34. q. 1. art. 2. §. Sed ait.

Utrum autem talis Virgo teneretur pati incisionem, si nullum inde sequatur grave incommodum? Si enim sequeretur, certum est, quod non teneretur, ut supra diximus de ea, quae foret nimis arcta. R. multos non improbabiler opinari, quod non teneretur, saltim ex justitia; quia ineptitudo ad copulam non tam se tenet ex parte Virginis, licet suo modo concurrat, quam ex parte viri debilioris. Unde potius vir deberet ad id conari per medicamentum, & cibos calidiores; ex charitate tamen teneretur, si praesentiret virum in periculo incontinentiae.

Petes 6. Quid agendum in dubio utrumque aequali, an impotentia praecesserit, vel subsequuta fuerit Matrimonium? R. praesumendum esse in favorem Matrimonii, quod illud subsequuta fuerit cap. finali de sentent. & re judicata, & cap. Si quis accepit 33. q. 1. frequentius autem emergit dubium de impotentia ex maleficio: de naturali enim, quando copula nunquam potuit exerceri, & nullis indicibus constat, quando contracta sit, probabilis est, quod praecesserit Matrimonium.

Petes 7. An matrimonium, ante annos pubertatis contractum, sit nullum? R. esse plerumque nullum, partim Jure naturae, partim Jure positivo. De Jure naturae patet; quia ante illud tempus plerumque ratio non satis viget, ut de re tanta sufficienter deliberare possit. De Jure positivo extant cap. Ubi c. Attestationis, c. Ex litteris de despons. impub. & de frigidis c. Quod sedem: respicit autem Jus tum ad rationem datam, tum quia ante illam aetatem natura non censetur ordinariè idonea ad debitum conjugale solvendum. Dixi, plerumque; quia, si ante hanc aetatem vigor, & natura, & rationis defectum aetatis suppleat, ita ut ambo reperiantur idonei, & ad consensum & ad copulam, valide contrahunt c. De illis &c. Tue tit. de despons. impub. Quod si forent tunc apti ad consensum, sed non ad copulam, licet attentio solo Jure naturae valide contraherent, quia adesset sufficienter consensus, & impotentia non censetur perpetua; invalide tamen ex dispositione Juris positivi, quod requirit in supplementum aetatis nectum prudentiam, sed & copulae potentiam. Unde colliges, inter Infideles, qui Legibus Ecclesiae non subsunt, fore in hoc casu validum matrimonium.

Nota autem, quod, quando matrimonium defectu aetatis est nullum, aequivaleat sponsalibus cap. unico de Sponsal. in 6. si tamen non sit clandestinum.

ARTICULUS X.

De Impedimento Disparitatis Cultus.

Disparitas cultus (Suppl. q. 59. art. 1. ad 5.) de qua hic agitur, non est, qua unus est fidelis, alter haereticus; sed qua unus est baptizatus, alter non: cum enim matrimonium sit Sacramentum novae Legis, merito requirit paritatem quantum ad Sacramentum fidei, quod est Baptismus.

Dico 1. (Ib. o.) Matrimonium fidelis cum infideli Jure naturali, divino, & Ecclesiastico est regulariter illicitum. Prob. (Ibid.) Tale matrimonium adversatur principali bono Matrimonii: ergo. Prob. Ant. Principale bonum matrimonii est proles ad cultum Dei educanda; atqui tale matrimonium huic bono adversatur: ergo. Prob. Min. Educatio fit communiter



per patrem, & matrem; atqui intentiones patris, & matris in tali conjugio erunt contrarie ad educandam prolem, cum uterque secundum fidem suam intendat prolem educare; ergo. Confir- m. Ex tali matrimonio oritur periculum evidens subversionis partis fidelis propter mutuum amorem, familiaritatem arc- tissimam, & continuam conversationem conjugum inter se. Item perturbatio pacis domesticæ, & exercitii veræ Religionis.

Hinc, sicut in veteri Testamento Exod. 34. Deuteron. 7. Esdræ 1. c. 9 & Esdræ 2. c. 13 prohibentur talia conjugia; ita & in novo 2. Cor. 6. his verbis: Nolite jugum ducere cum infidelibus, & 1. Cor. 7. Cui vult nubat, tantum in Domino, hoc est, Christiano, ut interpretantur SS. Patres Hieron. Tertull. Cyprian. Aug. &c. His accesserunt Decreta Ecclesiastica Con- cilio Eiliberitani Can. 19. Chalced. Can. 13. Aurelian. 2. Can. 18. & alia apud Gratianum.

Dixi: Regulariter; quia certis casibus, ubi non est pericu- lum, ne fidelis, aut liberi subvertantur, sed potius spes, quod pars infidelis convertatur, vel aliud insigne bonum expectatur, erit licitum conjugium fidelis cum infideli, spectato Jure natu- ræ, aut divino; sic Moyses, & David Gentibus nuptiarum, Es- ther Assuero, S. Cecilia Valeriano, S. Monica Patricio Echi- nico, &c.

Dico 2. (Ibid.) Disparitas cultûs præcedens irritat matri- monium, non Jure naturali, aut divino, sed Ecclesiastico con- suetudinario. Dixi, præcedens; quia, si matrimonio superveniat, ut quando alter conjugum convertitur ad fidem, non per se dissolvit illud, sed propter aliud, ut dixi de indissolubi- litate matrimonii.

Prob. 1. Pars. Licet disparitas cultûs aliquo modo adver- setur fini matrimonii, ut dixi in prima Conclusionem, non tamen absolute, & omnino; possunt enim absolute ex tali matrimonio proles nasci; & certis cautelis adhibitis catholicè educari, quam- vis difficilissimè plerumquè, quàm si ambo conjuges forent fideles; ergo. Prob. secunda Pars. Nullum extat in lege tam veteri, quàm nova, præceptum irritans tale matrimonium; ergo. Con- firm. utraque pars. Multa matrimonia tam in Lege veteri, quàm scripta, fuerunt valida inter dispares cultu, ut patet ex dictis; nec ulla legitur a Deo facta dispensatio.

Dices 1. Deuter. 7. v. 3. dicitur: Neque sociabis cum eis (Gentilibus) conjugia; ergo. R. illam Legem, & alias similes esse prohibitivas tantum, non irritativas; vel si irritativæ fuerint, cessasse in nova Lege, utpotè judiciale.

Inst. contra 1. Solutionem, quod 1. Esdræ 10. facta sit se- paratio uxorum alienigenarum, quæ non erant Cananæ. R. Il- lam separationem posse intelligi non quoad vinculum, sed quoad habitationem tantum; unde vocantur uxores, & earum conjunctiones Matrimonia. Secundum hanc primam solutionem intelligendus est Apostolus, prima Conclusionem citatus.

Dices 3. Tertull. libr. 2. ad uxorem cap. 15. ait: Gentilium matrimonia subrunt stupri reos esse constat. August. 1. de Adult. conjug. cap. 21. Hoc est ergo Domini præceptum, tam in veteri, quàm in novo Testamento, ut non nisi unius Religionis, & fidei conjugia sibi maneant copulata. R. ad 1. intelligi debe- re de stupro non corporis, sed mentis; exponendo scilicet se pe- riculo subversionis. Ad 2. ex Aug. patet intelligi de copula- tione per charitatem; ubi enim fides disjungit, charitas non con- jungit. Vel ita loquantur, quia talia matrimonia sunt illicita, non quia invalida.

Prob. 2. Pars Conclusionis. Consensu communi totius Eccle- siæ irrita censentur matrimonia fidelium cum infidelibus; atqui non irritantur Jure naturæ, aut divino; ut probatum est; ergo Jure Ecclesiastico: quod quidem non in aliquo generali canone legitur, sed universali consuetudine introductum, & firmatum est.

Si petas, quo tempore incepit hæc consuetudo? R. Scen- lo 5. post tempora Augustini viguit in Imperio Romano ex Legibus Imperatorum, consentiente Ecclesia, libr. 3. Cod. Theodo- siani tit. 14. de nuptiis Gentilium libr. 1. libr. 9. ejusdem Godi- cis tit. 4. libr. 5. quæ Leges, licet datæ fuerint sæculo 4. non tamen observatæ fuerunt in omnibus Imperii Provinciis, nisi sæculo 5. cum Augustinus libr. 1. de fide & oper. scribat, suo tempo- re in Africa frequentissimè celebrari hæc matrimonia, & non cre- di peccata. Universali autem circa sæculum 12. vigeat hæc consuetudo in Ecclesia, cum ab hoc tempore omnes Theologi, & Canonistæ communi consensu illam supponant, & asserant.

Ex his colliges 1. Ecclesiam posse dispensare in hoc impe- dimento, ubi abest periculum subversionis. 2. Sponsalia fidelis cum infideli, si sint absoluta, esse invalida; secus, si appona- tur conditio de conversione futura infidelis. 3. Matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem, si infidelis postea con- vertatur, non convalescere; quia ab initio fuit nullum. 4. Ma- trimonium Carechumeni cum Baptizato esse etiam nullum, sal- tem nunc; quia, licet interius fidem habeat, non est tamen baptizatus; quia ratione venit intelligendus in præsentem sub- nomine infidelis. Dixi, saltè nunc; quia videtur, quod olim tale

matrimonium fuerit, & licitum, & validum, eò quod diu diffe- rebatur Baptisma.

Petes 1. Quid sit censendum de matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis? R. esse prohibita Jure naturæ propter pericu- lum perversionis partis fidelis, & liberorum, ut diximus de Ma- trimoniis cum Infidelibus: Jure divino ad Tit. 3. & Ep. 2. Joan- ubi jubetur devitari hæreticus: & Jure Ecclesiastico Can. 13. Concilii Chalced. 31. Leodiceni apud Gratianum causa 28. q. 1.

Sunt tamen valida; quia nullo Jure irritantur: non Jure naturæ, aut divino, ut patet ex dictis de Matrimoniis cum in- fidelibus; neque Jure Ecclesiastico, quia nullum potest assignari irritans, sed tantum prohibens. Vide infra, de Clandestinitate, Decretum Benedicti XIV.

Petes 2. Quare Ecclesia potius irritaverit matrimonium in- ter fidelem, & non baptizatum, quàm inter fidelem, & hæreti- cum? R. plures posse afferri rationes. Prima est, quia, quan- do uterque est baptizatus, non est propriè disparitas Cultûs quantum ad Professionem Christianismi, & pars hæretica non est soluta ab obligatione Religionem Catholicam profitendi. Secunda, quia matrimonium inter fidelem, & hæreticum potest deferri ad Tribunal Ecclesiæ, a quo non eximitur hæreticus; secus autem inter fidelem, & non baptizatum. Tertia, quia hæ- reticus computatur inter Christianos: adeoque conveniens est, ut permittatur esse susceptivus Sacramentorum Christi.

De validitate matrimonii inter ipsos Infideles, & de ejus dis- solutione, casu quo una pars convertatur ad fidem, dixi supe- rius, dum de indissolubilitate matrimonii.

ARTICULUS XI.

De Impedimento Criminis.

Docet S. Th. hic art. 1. (Suppl. q. 60. art. 1.) non licere marito occidere uxorem in adulterio deprehensam, quia nulli licet occidere aliquem propria auctoritate. Quod autem leges civiles videantur id permittere; respondet, his legibus Eccle- siam non astringi; & insuper has leges non simpliciter permit- tere talem occisionem, quasi percipientes, aut prohibentes, sed quasi poenam homicidii non infligentes; hoc est, permitte- re, non ut fiat, sed ut impositum maneat, si fiat, propter jus- tissimum mariti dolorem dissimulantes.

Art. 2. (Ibid. art. 2.) docet, uxoricidium impedire tantum matrimonium contrahendum, quando vir propter adulterium, aut odium occidit mulierem; dirimere autem contractum, si occidat, ut ducat eam, cum qua moechatur. Et hoc est, quod dicitur impedimentum criminis, sed certis adhibitis conditioni- bus. Unde

Dico. Crimen, quod est, vel adulterium tantum, vel homi- cidium tantum, vel utrumque simul, positis certis conditioni- bus jam assignandis, dirimit matrimonium Jure positivo. Prob. Assignando conditiones, & loca Juris. 1. Adulterium tantum tunc dirimit matrimonium inter adulteros, quando conjungitur moralitè cum promissione contrahendi inter se, defuncta prom- ptia comparte, aut cum contractu per verba de præsentem, quam- vis irrito. Ita cap. Relatum 3. q. 1. & cap. Cum haberet cap. Finali, tit. de eo, qui duxit; adeò ut adulterium nudum sine promissione contrahendi, vel contractu actuali, aut promissio contrahendi, sive contractus sine adulterio, non dirimat matri- monium: quia secundum Jura ista duo debent conjungi, adul- terium & fides. Nihil refert autem, an fides præcedat, vel subsequatur adulterium, modò, si præcesserit, non fuerit revo- cata. Si autem subsequata fuerit, & revocetur, nihilominus di- rimit; quia sufficit, ut simul, & semel adulterium, & fides con- jungantur. Intelligitur autem promissio facta, & acceptata; item facta, vivente conjugè, & cum scientia matrimonii existentis.

2. Homicidium tantum tunc dirimit matrimonium, quando vir, aut mulier, ex mutuo tamen consensu, seu, ut dicitur, cum machinatione, occidit suum vel suam, aut alterius consentien- tis conjugem, cum intentione matrimonii inter se post mortem conjugis contrahendi. Ita cap. Laudabilem de convers. infidel. cap. Si quis vivente 3. q. 1. ubi quavis fiat tantum mentio viri occidentis mulierem, perinde est tamen si nihil occidat virum, ut tradunt omnes Theologi. Item perinde est sive physi- cè, sive moralitè, sive per se, sive per alium occidat, hòd effectus sequatur.

Dicitur 1. Ex mutuo consensu, seu cum machinatione. Ità colligunt Theologi communiter ex cap. citato Laudabilem. Unde, si unus occidat, altero nullatenus sive consilio, sive mandato, sive auxilio, aut alio quovis modo concurrente ad mortem, non contrahitur impedimentum; neque etiam si sit tantum occisio- nis rath-bivio. Dicitur 2. Cum intentione contrahendi inter se ma- trimonii; quia intentio, & fins legi est per hanc poenam, & im- pedimentum impedire, ne quis cupiditate alieni matrimonii oc- cidat propriam, vel alterius conjugem. Ità communius Theolo-

gi, Navarrus, Sanchez, Layman, Pontius, Perez, quos citat & sequitur Sporer, Henno, & alii contra Sylvium hic. Unde, si ex odio, vindicta, aut alio fine, quàm matrimonium inter se contrahendi, aliqui etiam cum machinatione occiderent alterius comparem, non incurrerent impedimentum; imò nec si occi- derent cum intentione contrahendi matrimonii, sed cum altera, quàm cum complice; ita docet Coninck, Layman, & alii.

Non requirit tamen pactum, seu fides de contrahendo cap. Super hoc tit. de eo, qui duxit; sed sufficit, quòd uterque habeat animum contrahendi inter se, etiamsi, saltè secundum aliquos, non mutuo sibi innotescat. In foro autem Ecclesiæ semper presumitur talis animus, ubi constat de machinatione.

3. Adulterium simul cum homicidio tunc impedit & dirimit matrimonium, quando adulter, vel adultera occidit suam, vel alterius conjugem, etiam sine mutuo consensu, aut machina- tione; modò tamen occidens habeat animum contrahendi cum adultera, ut dictum est in præcedenti casu ex fine legis. Hæc itaque tria crimina matrimonium dirimentia his paucis verbis comprehendendo. 1. Adulterium cum fide. 2. Homicidium cum machinatione, & animo contrahendi. 3. Homicidium cum adulterio & intentione contrahendi sine machinatione. Obser- vandum verò, hoc impedimentum dirimere matrimonium con- trahendum inter ipsos criminosos tantum, non cum aliis.

ARTICULUS XII.

De Impedimento Clandestinitatis.

§. I. Utrum Matrimonia clandestina fuerint olim, & sint etiam nunc valida?

Jure antiquo matrimonium illud censebatur clandestinum, quod non poterat probari testibus cap. Quod nobis, & c. Cùm inhibito tit. de clandestina dispensatione. Jure autem novo Concilii Tridentini illud matrimonium propriè est claudes- tinum, quod contrahitur absquè præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, & duorum testium. Quòd autem sit absquè bannis, seu denuntiationibus, non censetur clandestinum propriè.

Suppono, matrimonia clandestina semper fuisse ab Eccle- sia prohibita, adeoque semper illicita inter Christianos, ut patet ex Innocent. III. cap. 3. de clandest. dispensat. & Concilio Trid. sess. 24. in decreto Ref. matrim. cap. 1. ubi dicit: Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Rationes autem hujus prohibitionis erant gravissima inconvenientia, ex clandestinis matrimoniis obvenientia. Qui enim sic clandestinè contraxerant, relicta priore uxore, cum alia palam contrahebant, vel priore invito, vel utroque sibi re- mictente fidem prius imprudenter & stulte datam. Et insuper, si relicta secunda uxore ad primam redire vellent, compelebantur a Jure Ecclesiastico, qui non judicat de occultis, manere cum secunda, cum qua tamen non subsistebat matrimonium. Insu- pèr inibat matrimonium, quasi esset nudus contractus civilis sine reverentia & cæremoniis Ecclesiæ, qualiter decet suscipi Sacramentum, &c.

Assignat tamen Sylvius quosdam casus, in quibus licitum erat contrahere clandestinè, ut si gravis quædam necessitas ad id cogeret: unde concludit, matrimonia clandestina non esse per se mala, sicut fornicationem; licet tamen, ut dicit D. Th. q. 3. habeant ex se speciem turpitudinis. Quæstio est ergo, utrum fuerint, & sint valida?

Dico. (Suppl. q. 45. art. 5. o. & in resp. ad arg.) Matrimo- nia clandestina ex natura rei sunt valida, nec unquam Jure Ecclesiastico invalida fuerunt antè Trid. Jure autem novo Tri- dentini absolute irritantur. Prob. 1. Pars. (Ibid. o. & in a. s. c.) Quodcumquè ponitur essentialia alicujus contractus, aut Sacramenti, utrumque est validum, etiamsi omittantur solem- nitates accidentales; atqui in matrimonio clandestino ponuntur omnia essentialia ex natura rei ad contractum matrimoniale, & ad esse Sacramenti: ergo. Prob. Min. Essentialia contractui matrimoniali ex natura rei, & seclusa Ecclesiæ dispositione, est consensus mutuo per verba de præsentem inter legitimas per- sonas, sive in publico, sive in occulto fiat: Essentialia matrimo- nii, ut est Sacramentum, sunt materia debita, scilicet verba de præsentem consensum experimenti; atqui hæc omnia ponuntur in matrimonio clandestino: ergo.

Secunda Pars patet ex hoc, quod nulla decreta extant antè Trid. irritantia matrimonia clandestina. Unde Trid. sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1. ait, Non esse dubitandum, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quàmvis Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure damandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathe- mate damnet, qui ea rata & vera esse negant. Quibus verbis

satis insinuat Concilium, Ecclesiam nunquam irritasse matrimo- nia clandestina.

Insupèr, si fuisset talis lex ab Ecclesia, illius procul dubio meminisset Concilium, & declarasset se eam renovare, sicut pau- lò antè fecerat de Decreto Concilii Lateran. quoad proclamatio- nes præmittendas. Idque eo verius est, quòd essent in Concilio plures Patres & Doctores, qui dubitabant, an Ecclesia posset irritare Matrimonia clandestina. Quod opponi potest ex Decreto Evaristi cap. Alter 30. q. 5. & Concilio Colon. dissolvimus supra, dum de Matrimonio sine consensu parentum inito.

Si insupèr urgeas, quòd Clemens, vel, ut alii volunt, Cœ- lestinus III. cap. Videtur 35. q. 6. dicat, conjugium, quòd con- tra ordinem Ecclesiæ factum est, esse irritum. R. Pontificem lo- qui de casu particulari, quo post sponsalia & copulam subse- cutam contrahitur cum alia? & respondet, secundum Matrimo- nium esse nullum; quia juxta cap. Is, qui tit. de sponsalibus, sponsalia cum priori præsumebantur tunc per copulam transire in Matrimonium.

Prob. 3. pars ex Concilio Trid. sess. 24. citata cap. 1. his verbis: Qui aliter, quàm præsentem Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddat; & hujus- modi contractus irritos & nullos esse decernit, proit eos præ- senti decreto irritos facit & annullat. Concilium autem id po- tuisset statueret, patet; tùm quia Ecclesia errare non potest in definiendis rebus ad fidem, vel mores salutes pertinentibus; tùm etiam quia ex perpetuo usu, & pluribus ejusdem Concilii Cano- nibus, constat, eam posse statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, ut dixi supra, & patet ex Solutionibus Objectio- num. Sic autem statuit Concilium, quia advertebat præcedentes hæc de re inhibitiones propter hominum inobedientiam non pro- desse; nec aliter occurrì posse malis ex clandestinitate proveni- entibus.

Dices 1. Matrimonia clandestina valida sunt Jure naturæ; at- qui Ecclesia nihil potest contra Jus naturæ: ergo. R. 1. D. Maj. matrimonia clandestina valida sunt Jure naturæ permittente, C. Maj. præcipiente, N. Maj. Hoc sensu igitur dicuntur valida ma- trimonia clandestina Jure naturæ; non quòd Jus naturæ præcipiat sic contrahi, & sic esse valida, sed quòd ea sic contracta non faciat irrita, quin potius sint esse valida. Quòd autem Jus natu- ræ non irritat, potest per legem aliquam positivam irritari: sic contractus prodigorum & pupillorum, & alii, licet stando Juri naturæ sint validi, per leges tamen civiles irritantur. R. 2. clarius, Matrimonia clandestina Jure naturæ sunt valida, si contrahantur inter personas legitimas & habiles, C. Si inter illegitimas & inha- biles, N. Illegitimæ autem & inhabiles sunt ex Decreto Trid. qui attentant contrahere clandestinè. Nec minus id potuit statuere Ecclesia, quàm possit Legislator civilis reddere aliquem inhabilem ad vendendum, vel emendum, qui tan- en secluta lege foret habi- lis. Cùm enim Ecclesia sit Respublica bene ordinata, debuit in ea esse potestas ad regulandos contractus sacramentales suorum sub- ditiorum, atque adeò potuit statuere quasdam conditiones, sine quibus aut contrahentes forent inhabiles, aut ipsi contractus essent nulli.

Dices 2. Ecclesia non potest mutare materiam & formam Sa- cramentorum; atqui consensus clandestinus antè Trid. erat mate- ria & forma sufficiens Matrimonii: ergo non potuit efficiere, ut non esset amplius materia & forma sufficiens. R. D. Min. Consen- sus clandestinus legitimus, seu inter personas habiles & legitimas, erat antè Tridentinum materia & forma sufficiens Matrimonii, C. Min. Consensus illegitimus, seu inter personas illegitimas & inha- biles, N. Min. Unde eadem materia & forma substantialis Matrimo- nii, quæ erat antè Trid. immutata manet post illud, scilicet consensus legitimus & contractus validus. Adeoque Concilium ni- hil immutavit circa essentialia Sacramenti: sed tantum fecit, quòd contractus, qui antè erat legitimus, nunc non sit amplius legiti- mus: & hoc duplicitèr, 1. indirectè & mediatè reddendo perso- nas inhabiles ad contrahendum clandestinè: directè & immediatè cassando & irritando consensum & contractum clandestinum: in quo non mutavit materiam & formam Sacramenti formalitèr sum- ptam (nam est semper, sicut fuit, contractus validus, seu consen- sus legitimus) sed tantum materialitèr, faciendo scilicet, quòd id, quòd erat consensus legitimus & contractus validus, jam non sit legitimus & validus, adeoque non elevabilis ad esse Sacramenti. Christus enim non elevabit qualemcumque contractum matri- monialem ad esse Sacramenti, sed tantum eum, qui esset vali- dus & legitimus, hoc est, inter personas baptizatas & legitimas initus, sive impedimentum dirimens non haberent. Sicut igitur qui ex aqua cerevisiam faceret, aut ex vino acetum, non idè mutaret materiam Baptismi, aut Eucharistiæ formalitèr sum- ptam, quàmvis faceret, ut id, quòd prius erat materia illorum Sacramentorum, jam non sit res, quæ sit eorum materia: ita similitèr, qui contractum prius legitimum efficit illegitimum, aut